

157.

Schiffen.
fis.



V

0011

(alt Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften Theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



42
POSITIONES ETHICÆ
EX

PHILOSOPHO ARISTOTELE
SPARSIM COLLECTÆ

Q V A S
DEO AUSPICE

*Amplissimi Philosophorum Ordinis
in Illustri Juliâ permissu*

PRÆSIDE
M. HENRICO ALTO

publicè tuebitur
JOHANNES GEORGIUS RUNDENIUS
Osterwicensis
A. & R.

Ad diem vii. Julii

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt JOH. GEORG Täger & MARTINUS Vogel.

ANNO MDCLX.

POSITIONER ETHIC

PHILOSOPHO ARIETITIE

SEKUNDI COLLECTA

Q V A 2

DEO AITIO

M. BERNARDI O. A. I. O.

JOHANNES T. V. T. I. E. N. S.

Q. V. A. 2

A. I. O. T. I. O.

PHILOSOPHO ARIETITIE

SEKUNDI

COLLECTA

Q. V. A. 2

DEO AITIO

M. BERNARDI





DEO AUSPICE

POSITIO I.



Mne quod appetitur, bonum est, sive reverà tale, sive apparens, & omne bonum est appetibile. Neque tamen appetibile ipsam essentiam boni exprimit.

II. Etiam ejus quod non est, nec esse potest, datur Appetitus.

III. Quidam fines sunt ipsæ operationes, quidam opera per operationes producta: atque hic opera semper sunt natura meliora operationibus.

IV. Appetitus humanus non progreditur in infinitum, neque inanis est & frustraneus, ergo ultimum habere oportet in quo acquiescat.

V. Scientia Politica est præstantissima & maximè princeps ac Domina: quoniam omnibus scientiis practicis & artibus præscribit, atque disponit, quæ in Republicâ sint ferendæ, & à quibus & quousque singulæ sint discendæ, sic & facultates illæ, quæ summo in honore sunt, ut ars imperatoria, & ratio tuendæ rei familiaris, & bene dicendi facultates eidem sunt subjectæ & subordinatæ. Illa demum omnibus reliquis scientiis practicis & artibus, earumque operibus utitur, atque de agendis ac omittendis sive fugiendis leges fert.

VI. Civitatis aut gentis bonum consequi & conservare majus quid & perfectius est, imo pulchrius atque divinius, quàm unius vel alterius hominis bonum procurare.

VII. In Ethicis & Politicis omnia ita accuratè demonstrari non possunt, ut in Mathematicis, sed sufficit hic quædam ruditer & populariter proponere, & veluti adumbrare, aut ex iis quæ plerumque saltè fiunt, concludere.

IX. Ethica circa bona honesta & justa consideranda occupatur, non tamen eà quatenus sunt contingentia seu singularia considerat, sed quatenus sint universalis, neque circa mera probabilia, sed & circa necessaria versatur.

IX. Juvenis non est idoneus & accommodatus auditor scientiæ Politicæ, quippe cum actionum civilium imperitus sit, & affectibus nimium indulgeat.

X. Non tamen ab omni Ethicarum rerum cognitione juvenes simpliciter sunt arcendi.

XI. Requisita idonei auditoris scientiæ moralis sunt, esse bene informatum ac præparatum ad hanc doctrinam, ut de civilibus, deque modo ea proponendi rectè judicare possit, sic & esse benè educatum, atque moratum ut cum fructu hæc discat. Tandem propositum habere secundum hæc præcepta vivendi atque agendi, ut finem assequatur.

XII. Sunt homines, qui & norunt agenda & agunt, hi optimi: Sunt alij, qui per se quidem non norunt agenda, sed tamen bene monentibus obtemperant, hi boni & maximè ad doctrinam Ethicam apti. Denique sunt, qui nec norunt agenda, nec agunt, nec aliis morem gerere volunt, hi prorsus sunt inepti ac inutiles.

XIII.

XIII. De eo quod sit summum bonum sive beatitudo variæ sunt non vulgi solum, sed & sapientum virorum sententiæ: Imo unus idemque homo, diverso tempore diversa summi boni loco æstimat & appetit.

XIV. Opinionum illarum de Summo Bono diversitas ex variis vitæ generibus, quæ homines sectantur, proficiscitur.

XV. Tria autem præcipuè sunt vitæ genera & sic triplices de summo bono pratico hominum sententiæ. *Prima* vulgi & imperitæ multitudinis, quæ voluptatem corporis summum bonum humanum esse existimant. *Secunda* Politicorum & civiliorum hominum qui in Rep. & rebus agendis occupantur. Hi vel in honore ac potentiâ, vel ad summum in virtute honorum procreatrice summum bonum collocant. *Tertia*, Philosophorum qui in contemplatione & cognitione rerum naturalium in primis vero maximè DEI & divinorum summum bonum constituunt. His adduntur lucro & quæstui dediti, qui in divitiis sine fine modoque auctis summum bonum quærunt.

XVI. Qui Epicuro sententiam de Beatitudine in Voluptate corporis consistente tribuunt, non omnino injuriam ei facere videntur.

XVII. Contra vero summum bonum humanum non est situm in Voluptatibus corporis, quas ineptissima & stolidissima hominum mancipia, magnatum & potentum exemplo decepta, unicè expetunt: Vitam cum pecoribus communem humanæ vitæ præferentes. Nec *secundò* in honore, qui in honorante potius est, quàm honorato, & quo facile homo excidere potest, qui denique à prudentibus non propter se sed propter opinionem Virtutis expetitur. Nec *tertiò* in Virtute, quæ etiam dormienti, & in

vitâ nihil agenti, imò in extremas calamitates conjecto competere potest. Nec *quartò* in contemplatione, hic enim summum bonum practicum & civile quæritur, contemplativa autem & Philosophica vita sublimiora & præstantiora spectat. Nec *quintò* in divitiis, qui enim divitiarum questum pro fine habet, ejus vita violenta est, ipsæque divitiæ non propter se, sed propter usum in vita sunt tantum expetendæ. Denique *sextò* non in Voluptate animi, hæc enim non finis hominis, sed comes potius & adjunctum finis summi boni est.

XIIX. Summum bonum humanum perfecte definitur operatio animæ rationalis secundum Virtutem optimam & perfectissimam (humanam scilicet & civilem.) In vita perfecta (civiliter sc.)

XIX. Non in omnibus quærenda est eadem accurata & exquisita subtilitas, sed in singulis pro subjectæ materiæ conditione & in quantum id scientiæ eamque docendi ac tractandi rationi accommodatum est, procedendum.

XX. Ut in omnibus principiis rectè instituendis sic etiam in beatitudinis ratione determinanda, declaranda, non rationibus solum & argumentis, sed testimoniis etiam & auctoritatibus aliorum iisque quæ de ea communiter feruntur, utendum est, vera enim veris semper consona, à falsis autem dissident, atque dissentiunt.

XXI. Cum inter tria bonorum genera, externa sive fortunæ, animæ & corporis, animæ bona communi philosophantium, imò omnium saniorum hominum consensu primas partes obtineant, & maximè bona dicantur. Ergò beatitudo bonis animæ rectè accensetur.

XXII.

XXII. Beatitudo omninò est divinum bonum.

XXIII. Beatitudo & doctrinâ & studio, cura, assuefactione ac exercitatione acquiri & comparari potest ab omnibus qui non aut naturæ vitio, aut fortunæ injuria ad Virtutem excolendam inepti sunt, siquidem & naturæ bonitas ad felicitatem requiritur.

XXIV. Beatitudo utpote res maxima, pulcherrima & præstantissima non fortunæ est adscribenda, sed potius virtuti, quippe cum sit operatio animæ secundum virtutem. Cætera vero bona aut ei insunt, aut instrumentorum instar illi adjumento sunt ac usui.

XXV. Beatitudo non cadit in bruta, utpote actionis rationalis secundum virtutem expediendæ expertia. Neque pueris ob ætatis vitæ perfectæ secundum perfectam virtutem ducendæ non capacis defectum beatitudo competit, nisi spe & potentia.

XXVI. Cæterum an ante obitum nemo possit dici beatus, quod à Solone proditum accepimus, non contemnendæ est difficultatis quæstio.

XXVII. Atque Solonis quidem pronunciatum vel hoc sensu accipi potest, ut innuat neminem beatum esse nisi vitâ defunctum. Quæ & absona & Solonis menti minus congrua est sententia, utpote cum actio secundum Virtutem in qua beatitudo consistit, non mortuis sed vivis conveniat: vel hoc & Solonis sententiæ magis accommodato sensu, ut indicet neminem certò & tutò beatum judicari & prædicari posse, nisi vitæ finem attigerit, sicque extra fortunæ aleam positus fuerit.

XXIIX. Verum hoc posterius quoque suâ non caret dubitatione. Nam sicut vivis, licet non sentientibus mala quædam & bona, adversa & prospera accidere possunt:

Ita

Ita vita quoque defunctos bona quædam & mala, honores, c. g. & infamia, aliæque prosperitates aut calamitates, vel ipsis vel illorum hæredibus & posteris contingentes tangere videntur, imprimis cum multi à parentum & majorum moribus omninò degenerent, quorum miseram conditionem, si aut felicitatem parentum defunctorum labefactare & immutare aut nihil planè ad eos pertinere dixeris, utrinque non exiguis absurditatibus te implicueris.

XXIX. Sed hoc quoque absonum videtur post obitum demum hominem beatum prædicandum esse, non quod tum beatus fiat, sed quod in vitâ beatus fuerit, non autem dum vivat beatum dicendum, cum tamen in vitâ verè sit beatus, an verò quod rei inest verè de ea prædicari non poterit? an quod de re prædicatur in præterito, nunquam de ea poterit affirmari in præsentis?

XXX. At nihilominus tamen varii inconstantis fortunæ casus, quibus humana vita exposita est, obstare videntur, quo minus homo in vita beatus prædicari queat: Sic enim variante fortunâ idem modo beatus erit, modo iterum miser, adeoque beatus quovis Chamæleonte mutabilior censebitur, cum tamen beatitudinem omnes firmo thalo noti & nequaquam mutari posse existiment.

XXXI. Itaq; vera beatitudo variantis fortunæ casibus subiicienda non est. Non enim in fortunæ bonis aut malis sita est vera beatitudo aut miseria, quamvis bona fortunæ ut adjuncta humana vita desideret: Sed in actionibus virtuosis vera felicitas, in vitiosis vera consistit miseria.

XXXII. Vir beatus semper vel omnium maximè ea agit & considerat, quæ virtuti congruunt, & fortunæ quoque casus optime, & omni ex parte decenter fert, tanquam

quam verè bonus & sine reprehensione ac vitio quadratus.

XXXIII. Quare vir beatus nunquam verè miser aut infelix fieri potest, nunquam enim fit vitiosus.

XXXIV. Neque propterea varius est & mutabilis vir beatus : non enim facilè neque à quibusvis levioribus etiam adversitatibus, sed multis ac magnis à felicitatis statu deiicitur, neque ex eiusmodi malis brevi tempore eluctari ac emergere, verum longo tempore interveniente, & rebus omnibus ex voto fluentibus in pristinum statum reponi poterit.

XXXV. Itaque nihil prohibet ex vivis beatos illos appellare, qui externis bonis satis instructi ex perfecta virtute operantur in vita perfecta : hi enim beati erunt ut homines.

XXXVI. Nisi alicui propter fortunæ varios casus addere lubeat, beatos in vita dicendos esse non simpliciter sed cum adhibita limitatione, si beatam illam vitam ad mortem usque sint continuaturi, inque ea felicitate vitâ excessuri : hi enim demum absolutè beati prædicari poterunt, siquidem beatitudo absoluta finis est, & quoddam prorsus ex omne parte perfectum.

XXXVII. Fortunam secundam & adversam posterorum & amicorum omnium nihil plane ad virum beatum vita defunctum pertinere tum ab amicitia valdè alienum tum communibus hominum opinionibus adversum esse videtur. Sed hic tum inter fortunæ casus sive prosperos sive adversos, quorum alii graviores, alii leviores sunt, tum inter cognatos & amicos diversos, tum denique inter vivos ac mortuos distinguendum & de distinctis distinctum est ferendum iudicium.

B

XXXIIX.



XXXIX. Quod si vero etiam vitam defunctos suorum felicitate aut infelicitate affici videatur certe per quam leve atque exiguum erit, quodcunque sive bonum sive malum illos tangere dicitur: aut si vel maxime majoris sit ponderis atque momenti, ita tamen comparatum erit, ut neque illos ex non beatis beatos efficiat, neque beatitudinem iis qui eam adepti sunt adimat atque eripiat.

XXXIX. Cum tria sint bonorum genera, quaedam laudabilia, quaedam honore digna, quaedam denique intermedia seu neutra, quae facultates dicuntur. An beatitudo laudandis an honorandis bonis sit accensenda? non immerito quaeritur, nam facultatibus, quibus bene vel male uti licet eam non esse annumerandam per se patet.

XL. Beatitudo autem non est bonum proprie & tantum laudabile, quae enim laudantur, ob qualitatem aliquam qua praedita sunt, & ad bene agendum disposita, adeoque propter respectum quem ad aliud, habitum scilicet vel qualitatem obtinent, commendantur. Beatitudo vero propter se ipsam commendanda est, & magni facienda.

XLI. Beatitudo ergo potius est bonum honorandum.

XLII. De quadam virtute intellectuali prudentia scilicet in Ethicis per se agendum est, de reliquis virtutibus & habitibus intellectualibus per accidens propter prudentiam.

XLIII. Virtutes morales (idem de vitiis sit iudicium) naturam nobis non ingenerantur (quamvis non insint praeter vel contra naturam: & dispositiones quaedam ac inclinationes ad virtutes naturam nobis convenient.

XLIV. Magna danda est opera ut actiones nostras ita instituamus quo bonis & honestis rebus asvescimus

MUS

mus, & illud quidem à pueris: nam à teneris asvescere multum est, imo omnia in eo sita sunt.

XLV. Omnis quæ de rebus agendis instituitur oratio, non adeò accurata & exquisita esse potest, quia agenda perinde ac salubria non sunt satis certa, inprimis si de rebus singulis, quæ nec sub scientiam nec sub præceptionem ullam cadunt, sermo sit. Huic tamen defectui & incommodo medelam afferre Philosophi est.

XLVI. In actionibus rectè instituendis medium observandum est. Sicut enim valetudo nimio aut nullo alimento læditur aut extinguitur, & vires corporis nimio aut nullo exercitio ac labore debilitantur & languescunt: Sic Virtutes etiam per medium in actionibus observatum generantur, augentur & conservantur, ab excessu vero vel defectu corrumpuntur & intereunt.

XLVII. Ad actionem ex Virtute præstandam requiritur *primò*, ut agatur ab homine sciente, *Secundò*, ex deliberato consilio, eoque propter se suscepto, quia ita agere honestum est, *Tertiò*, constanter & immoto animo, *Quartò*, promptè & summâ cum animi Voluptate ac delectatione.

XLVIII. In artibus quidem hæc omnia non attenduntur præter scientiam: In Virtutibus verò cum scientia parum aut nihil valeat, reliqua, actiones scilicet ex deliberato consilio, & constanter cum animi voluptate susceptæ maximam imò omnem vim obtinent: hæc enim virum verè virtuosum constituunt.

XLIX. Actiones habitum virtutis antecedentes & consequentes specie inter se differunt.

L. Cum autem tria sint in anima sive appetitu sensitivo, *primò* affectus, qui sunt motus seu passiones appetitus

titus sensitivi, ut concupiscentia, ira, metus, fiducia &c. *Secundò* potentiæ sive facultates naturales, quibus ad affectus proclives sumus & *tertiò* habitus, quibus benè vel male circa affectus dispositi sumus. Virtutes quidem non sunt affectus nec potentiæ, ergo relinquitur virtutes esse habitus, adeoque genus virtutis est habitus.

L I. Hominis virtus generatim loquendo est optimus habitus quo homo bonus est, & munere suo benè fungitur, hoc autem fit, si & ipse homo medio modo sit dispositus, & medium in affectibus & actionibus observat.

L II. Nam in omni quanto & divisibili plus & minus sive excessus & defectus, & æquale sive medium inter plus & minus reperitur.

L III. Medium autem duplex est: *Aliud rei*, quod ab utroque extremo æqualiter distat, sive æqualiter superat & superatur, & omnibus unum idemque manet, quod medium secundum proportionem Arithmeticam sumitur, & in æquali quantitate consistit; *Aliud personæ* sive ad nos relatum, quod nec excedit nec deficit in iis quæ adesse oportet, nec omnibus unum idemque est, sed pro personarum loci & temporis ac aliarum circumstantiarum diversitate variatur: Quod medium secundum proportionem Geometricam sumitur, & inæquali ratione, sive habitudine unius ad aliud consistit.

L IV. Virtus moralis circa affectus & actiones occupatur, in quibus & nimium & parum, seu excessus & defectus (quæ ut peccata vituperantur) & medium (quod ut rectè factum laudatur) reperitur.

L V. Medium autem in affectibus & actionibus observatur, si quis, & quo tempore ac loco, & in quibus rebus,

rebus, & erga quos & cuius rei causa & quomodo oportet, afficiatur & agat.

LVI. Atque adeò virtus moralis mediocritas quædam est, & medium ut scopum sibi habet propositum.

LVII. Est itaque virtus moralis (accuratè definita) habitus ex deliberato consilio unum præ altero eligens, consistens in mediocritate illâ quæ ad nos refertur, quæque est ratione definita, & quidem sicut vir prudens eam definit.

LIIX. Mediocritas autem virtutis dicitur respectu duorum vitiorum, quorum alterum in excessu alterum in defectu peccat, & recedit ab eo, quod fieri debet in affectibus & actionibus in quibus Virtus medium & invenit & observat.

LIX. Non omnis actio nec omnis affectus medii capax est.

LX. Adeoque nec in excessu & in defectu mediocritas, nec in mediocritate excessus & defectus quærendus est, nisi in infinitum lubeat procedere.



Corollaria Logica

I.

Terminus bene definitur vox, in quam resolvitur propositio ut in extremum, si-ve ut in prædicatum, & id de quo prædicatur.

B 3

II. Ter-

II.

Terminus mentalis & scriptus non est terminus proprie.

III.

Copula non est terminus, nec pars termini. Ergo nec pars prædicati.

IV.

Propositio benè definitur oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo, hoc est, unum de uno.

V.

Propositio non benè dicitur axioma, neque terminus thema vel argumentum: neque doctrina de propositione iudicium axiomaticum benè appellatur.

VI.

Orationes imperfectæ, itemq; purè Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticæ non sunt Enunciationes, nec Logicæ Orationes.

VII.

Orationes ex nominibus & verbis infinitis vel casibus obliquis constantes, item quæ sunt de futuris contingentibus, nec non ambiguae & similes non sunt Logicæ.

II X.

II X.

Omnis Enunciatio & propositio sit per-
picua, non obscura & ambigua.

IX.

Veritas & falsitas non est affectio propria
neque accidens Enunciationis, sed essentialis
ejus differentia, quæ in definitione Enuncia-
tionis exprimitur.

X.

Non omnis Enunciatio est propositio,
nam Enunciatio secundi adjecti & composi-
ta non est propositio.

XI.

Enunciatio Logica primario sic dicta sit
indicativa & temporis præsentis, & ad hanc
reliquæ reducantur.

XII.

Oratio, Enunciatio, vel propositio de tem-
pore præterito vel futuro veræ sunt propter
Enunciationem de tempore præsentis.

XIII.

Subiectum & prædicatum sive termini
sunt partes propositionis principales.

XIV.

Ordinarie & directe quidem subiectum
primo

primo, prædicatum ultimo loco in propositione poni debet.

XV.

Nomen bene definitur vox significans ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, (scil. in illa ipsa dictione) Verbum autem vox significans ex instituto cum tempore, cujus nulla pars significat separatim.

XVI.


Cum tempore significare est simpliciter significare aliquid esse, fuisse vel futurum esse: sine tempore significare vel tempus adsignificare est non simpliciter significare aliquid esse, vel fuisse, vel futurum esse.


XVII.

In ordinata & directa propositione latiora, generalia, universalialia & quæ rationem materiæ sive subjecti & substantiæ habent, debent prædicari: strictiora vero specialia, particularia & singularia, quæque formæ aut accidentis rationem habent, subiici oportet.

F I N I S.







492
POSITIONES ETHICÆ
EX
PHILOSOPHO ARISTOTELE
SPARSIM COLLECTÆ

Q V A S
DEO AUSPICE

*Amplissimi Philosophorum Ordinis
in Illustri Juliâ permissu*

PRÆSIDE


M. HENRICO ALTO

publicè tuebitur

JOHANNES GEORGIUS RUNDENIUS
Osterwicensis
A. & R.

Ad diem vii. Julii

IN NOVI JULEI AUDITORIO MAIORI



HELMESTADII,

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Excuderunt JOH. GEORG Läger & MARTINUS Vogel.

ANNO MDCC LX.

